Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



seu potius Concilio Mediolanensi anno 452, tanquam prioris appendii per Abundantium Episcopum Comensem subscriptis, ~~in Papiae Curiensi legitur~~ finem vero successorem Parilium designasse legitur) denique Hunnis dispersentibus ad Vennonetes, Teriolos et Rhaetiae Majas adventasse. ~~Quae omnia rectis possibilioribus fiat, quia tamen solidiore fundamento destituuntur, unjuslibet opinioni relinquo.~~ Porro Kranzius ~~Metrop. Saxoniae~~ Germ. Sac. l. I, c. 13. De tempore adventus (S. Valentini Batavam) res incerta est. Verisimile venisse circa Leonis annos priores (ante annum 451): quod arguit posset ex aetate Lucilli ejus discipuli, qui anno 450 jam fuit bono decrepitus, uti refert Eugippius in vita Severi c. 11. Credibile autem est, Lucillum aetate adhuc vivente se in disciplinam Valentini dedisse. Sed nec de spatio temporis, quod apud Retos praedicando Valentinus consumsit, nec de anno mortis intelligi quidquam potest. Annis certe plusculis eam praedicationem exercuisse, conjectari potest ex fructu copioso, quem peperit, ~~quam~~ famaque gloriosa, quam apud Rhaetos reliquit, adeo, ut eximia ejus pietate celeberrima venerarentur. Quoad tempus adventus consentire videtur Resthius Annal. Sub. sec. V. Idem tamen quoad iter, quod Batavia Curiam Valentinus fecit, dissentit, dum l. c. annot. 60 ait: Valentinus per Passavio per alpes Oenanas in Grisoniam ascendit. Ego autem, sicut Valentinum Curiam venisse, minime dubito, ita qua via illuc pervenerit, ignotum existimo. Non legitur venisse per Brenes seu Oenivallem: sed nec, per Augustam Vindelicum et Lycates illuc venisse, ullus antiquus auctor est. Mallem igitur credere, Valentinum, ut tanto citius Arianos effugeret, sublimiad montana Raetiae, et Insubrium confinia se contulisse.

14) Anonymus Passaviensis in vita S. Valentini, edita a Surio, ~~Germanico~~, et Bollando. Scripsit eam circa annum 1120, eodem tempore, quo sacrum S. ~~Val~~ Valentini Corpus elevatum est; eamque sine dubio ex antiquioribus monumentis ac traditionibus hauserat. Caterum de miraculis S. Valentini ~~in Montanis~~ quaestionem instituit Hofmannus Ms. p. I, c. 15; quibusnam languoribus morbisve sanandis maxime celebris fuerit; et ex iis, quae post mortem ejus contigerunt, arguit, etiam a vivo proeque fuisse patrata, scilicet sanationes epilepticorum. Nolim tamen Sancti nostri Apostoli beneficia ad unum duntaxat speciem restringere; maxime cum Anonymus dicat, multos a diversis languoribus fuisse curatos.

X vid. Resthius Annal. sec. VI S. 12.

~~Hiberos~~